



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 10. Epistola Pontificis ad duos præcipuos Consiliarios adversus  
Lutherum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Carolus Miltiz ablegavit, præcepit-  
 que, ut Friderico exponeret, quod nulla Sæcul. XVI.  
A.C. 1519.  
 re magis, quam hæretici hujus Monachi  
 præsidio existimationem suam in discrimen adduceret, eo quod Lutherus in hæresin prolapsus patriæ suæ juribus excidisset; quapropter potius ab eo rebellionis suæ poenas posceret; cum imperii leges nequaquam Sacræ Sedis juribus adversarentur, inter quæ præcipuum esset, ut summo Pontifici libera causarum majorum, ac præprimis ipsius hæresis cognitio plene relinqueretur.

## §. X.

*Epistola Pontificis ad duos præcipuos Consiliarios adversus Lutherum.*

Hisce monitis idem Papa binas adjunxit epistolas, quas Mense Januario Anno supra millesimum quingentesimo decimo nono datas ad duos primarios aulæ Saxonicæ Ministros direxit, nimirum ad Pfeffingerum & Georgium Spalatinum, quorum prior Electori ab arcanis erat consiliis, alteri vero publica status negotia gerendi cura incumberebat. Hos ergo ambos exorabat Pontifex, ut ad Lutherum ditone expellendum toto studio Electorem inclinarent, hancque in rem Papa eisdem Religionis Christianæ.

ac

Sæcul. XVI.  
A.C. 1519.

ac proprii honoris curam variis rationum momentis ingerere studebat. Exeunte Februario Miltizius in Saxoniam venit, remisse admodum exceptus, imo Elector Rosam auream nec privatim nec publice acceptare voluit, nec magis benevolas aures iis, quæ Legatus adversus Lutherum proposuerat, accommodavit. Equidem Pseffingerus, & Spalatinus Miltizio magis affecti videbantur: verum Germaniæ negotia tum horum studia adeo absorbebant, ut Papæ votis plene satisfacere haud potuerint.

§. XI.

*Miltizii Papæ Nuncii colloquium cum  
Luthero.*

*Acta Luth.  
cum Miltiz  
t. I.  
Cochl. l. cit.*

Igitur Miltizius prævalente eorum, qui Luthero favebant, potentia de prospero Legationis suæ successu desperans, non jam auctoritate, sed mitiori via rem aggredi statuit, cumque Lutheri arrogantiam Electoris præsidio indies augeri, probe cognosceret, ac Cajetanum Legatum nimis severitatis Romæ postulatam fuisse perpenderet, contrariam agendi rationem tenere, ac lenitate pertinaciam frangere consultius fore judicavit. Verum id consilii tanta abiectione, tamque insulsa assentatione executus est Miltizius, ut omnes ferme Historici eidem hunc modum